



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Monvmenta Paderbornensia

Ferdinand <II., Paderborn, Bischof>

Paderbornae, 1669

Saltvs Tevtobvrgiensis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11425

gentis conditorésq; Manno tres filios assignant. &c. Quidam autem, licentia vetustatis, plures deo ortos, pluresq; gentis appellationes, Marsos, Gambrivios, Svevos, Vandalios affirmant: eaq; vera & antiqua nomina. Maximè ijs infestus Germanicus fuit, abolendæ infamiæ causâ, ob deletum cum exercitu Quinctilium Varum, à Tiberio in Germaniam missus. Tacit. 1. An. *Ventumq; ad vicos Marforum, & circumdata stationes. Quinquaginta millium spatium ferro flammisq; per vastat. Profana simul, & sacra, & celeberrimum illis gentibus templum, quod Tanfane vocabant, solo æquantur.* Idem lib. 2. ipse (Cæsar) majoribus copijs Marsos irrumpit quorum dux Malo vendus, nuper in deditiōem acceptus, propinquo luco defossam Variæ legionis aquilam modico presidio servari indicat. Causa igitur hujus vastationis, & irruptionis non alia, quàm quod Varum, per fines Marforum ad Amisiam, Dalichium, & Aldenbecam porrectos, ad Visurgim proficiscentem, ab ijsdem & conterminis populis cæsum meminerat. Cluver. lib. 3. Germ. antiq. c. 11.

SALTUS TEUTOBURGIENSIS.

I. **S**ALTUS TEUTOBURGIENSIS. Meminit hujus saltus Tacitus. lib. 1. An. *Ductum inde agmen ad ultimos Bructerorum; quantumque Amisiam & Luppiam amnes inter, vastatum. haud procul Teutoburgiensi saltu.* Quibus verbis satis designavit, quo loco situs sit, & quærendus, nempe inter desertum Sinedi, & Dethmoldiam, Hornamque oppida, ubi mons Teuteberg antiquum nomen hodie retinet; cui de-

E 2

scriptio

scriptio Taciti, & Velleji, ac Dionis de Variânâ clade testimonia conveniunt. Lipsius in Tacit. lib. 2. An. n. 211. Reineccius in Poëtam Anony. de Carol. M. lib. 1. Horrion. lib. 2. Panegy. Pad. c. 9. Althamerus in Tacit. de morib. Germ. Fallitur igitur Aventinus, qui in hist. Bojorum. *Teutoburgiensem Taciti saltum cum silva Duisbergensi* in Cliviâ, vicina Rhe-
no, & ab Amisij & Luppia fontibus longè remotâ confudit: atque ex hoc errore in alium lapsus, Varum in eâ cum legionibus cæsum scripsit. Nec retert, quòd ad saltum, qui pro vero *Teutoburgensi* hîc habetur, non sit *Teutoburgium*, à quo tamen originem istius cognominis petere oportet, minimùm autem *Duisburgum* discrepet. Fuit enim id ipsum oppidulum, quod postea *Thietmallum* & *Dethmoldia* dici cœpit, neque adhuc vetus suum nomen totum amisit. Cluver. l. 3. Germ. antiq. c. 15. & 19. Dietmelle esse antiquum illud *Teutoburgium*, à quo *Teutoburgensis* saltus cognomen accepit, ipsa hodierna appellatio manifestò iudicat; quippe Diet idem esse nomen quod *Theuth*, jam dudum innumeris argumentis probatum habeo. Atque vulgare quidem fuit hoc tractu vocabulum *Theut*, locis impositum. Nam ab eodem dictus est antiquissimo nomine vicus ille, medio inter *Luppia* fontem & *Theutomellû* situ, *Teutenmeyer*: item oppidulum *Diedenhille*, XV. millibus passuum ab *Theutomello* in orientem versus distitit. Ceterùm apud *Ptolemæum* legitur *Germania* locus, haud procul levâ *Visurgis* ripâ, *Τελοσέργιον*, quod ego vocabulum ex situ & literarum ductu, corruptum esse iudico pro *Τετιβέργιον*. Forfan ab hoc antiquiore *Teutoburgio* Westphalico, in memoriam ejus, appellatum fuit *Teutoburgium* in Pannoniâ, ad confluentes *Dravi* & *Istri*, ubi hodie *Drasad* pagus, *Teutonum*, ut verisimile, colonia, & quantum conjectura assequi licet, à *Sicambris* forfan condita. *Lazius*. lib. 12. comm.

comm. reip. Rom. c. 6. Sicambros enim, ante emigrationem, finitimos Cheruscis, ubi Dethmoldia, & latè in diœcesi Paderbornensi habitasse, ex Dione suprâ probatum.

3. LOCA VASTA. Tum ob solitudinem, tum ob amplitudinem *Tentoburgiensi saltus*, qui in diœcesi Osna-brugensi exsurgens, per Ravensburgicum & Lippiensem comitatum, & totam Paderbornensem ditionem longissimo montium silvarumque tractu porrigitur. Vasta enim loca appellantur, quæ vel magnitudinis terminos excedunt, vel deserta & solitaria sunt, nec sine horrore peragantur. Vossius in etymolog.

3. SISTE VIATOR ITER. Vetus in monumentis, & frequens his verbis compellendi viatorem formula. Meretur hanc moram propter Vari cladem, & victoriam Caroli M. in Romanâ & Francicâ historiâ inclutus saltus.

4. HIC RAPTAS AQVILAS CLADIS MONVMENTA LATINÆ, &c. Tacit. l. i. An. Florus. lib. 4. c. 12. alique suprâ citati.

5. VARI RELIQUIASQUE DVCIS. Tac. lib. i. An. *Hand procul Tentoburgiensi saltu, in quo reliquie Vari, legionumque inssepulta dicebantur*, & locis glebosis caluæ, seu crania hominum disjecta, ossaque passim effodiuntur. Hamelman. in genealogiâ com. Lipp. Ilac. Pontanus lib. i. orig. Franc. c. 9.

6. EGIT ET HIC CELEBREM THIETMALLO TESTE TRIUMPHVM. Celebrem hinc triumphum Carolus M. egit, quia prælio, non auspicijs ejus tantum, ut pleræque alia, verum etiam ductu inito, interfuit, & ingentem victoriam, innumerabili hostium multitudine interfectâ, reportavit; Eginhardus in vit. Caroli. M. Astronomus in reb. gest.

gest. à Carol. M. apud Reuberum A. 783. Vita Caroli M. à Pithæo edita. Annales Francici incerti, sed vetusti scriptoris apud eundem. Poëta Anony. l. 16. A. 783. Adelmus Benedictinus. in Anna^l Reg. Franc. A. 783. Regino. in chron. Vrsperg in chron. eod. Anno.

Ex his omnium antiquissimus Eginhardus ita de hoc prælio scribit. *Hoc bellū licet per multum temporis spatium traheretur, ipse non amplius quàm bis acie conflixit; semel juxta montem, qui Osnegge dicitur, in loco Thietmelle nominato, & iterum apud Afam fluvium; & hoc uno mense, paucis quoq. interpositis diebus. His duobus prælijs hostes adeò profligati ac devicti sunt, ut ulterius regem neque provocare, neque venienti resistere, nisi aliquà loci munitione defensi, auderent.* Vita Caroli M. apud Pithæum: *Iterum rebellant Saxones, & Dominus Rex Carolus super eos ad Teotmali venit, ibi Saxones praparaverunt se ad pugnam in campo; sed viriliter Domino Rege Carolo pugnante Saxones terga vertunt, & Franci victores existunt: ceciditque ibi multitudo Saxonum, ita ut pauci fugâ evaserint.* Priusquam verò alterum prælium ad Hafaminijt, Paderbornam Carolus victor venit. Adelmus: *Arridente veris tempore, cum ad expeditionem Saxoniam se praparasset, nam de omnimodâ eorum defectione perlatum fuerat, priusquam de memoratâ Theodonis villâ se moveret, Hildigardis Regina uxor ejus decessit pridie cal. May. in vigiliâ ascensionis. Regino. Cujus funeri cum more solenni justa persolveret, in Saxoniam, sicut disposuerat, duxit exercitum. Cùmque Saxones in eo loco, qui Thietmelle vocatur, ad pugnam se praparare cognovisset, ad eos summâ celeritate contendit; commissoque cum eis prælio, tantâ eos cade prostravit, ut de innumerabili eorum multitudine perpauci evasisse dicantur; cùmque de loco prælij ad Padrebrunnam se cum exercitu recepisset, atque ibi castris positus partem exercitus, que*
adhuc

adhuc de Franciâ venire debuerat, opperiretur, audiuit Saxones in finibus Westphalorum Hasam ad hoc congregari, ut ibi cum eo, si venisset, acie confligerent. Quia in Thietmellensi pugnâ singularem Carolus M. Dei opem expertus fuerat, in ejus memoriam sacellum in monte *Osnegg* condidit, & utrique à divino auxilio nomen indidit. Poëta Anonym. l. c.

Sed tandem Carolus divino munere victor

Cæsis innumeris reliquos exinde fugavit.

Chron. Tremon. apud Stangefol. lib. 2. An. *Carolus Rex in monte, ab antiquo Asneggi dicto, milliare à Lemgau civitate distante, Saxones usque quo rebelles, iteratò aggressus, illos ad interuersionem occidit, & transfugas dissipat: quâ in pugnâ, manifestum ei divinum adfuit auxilium, ea propter religione tactus, ne ingratus erga Deum reperiretur, montem hunc divino cultui consecravit, montem sancti adjutorij eum baptizando, atque Ecclesiam ibidem fundando, ubi posteris multis seculis, pia & ab antiquo usitata devotione, illinc peregrinantes divinum auxilium non rarò senserunt.* Crancius lib. 2. Saxon. c. 4. *Ego montem accipio, in quo à memoria Karoli erecta est capella, divini auxilij nominata, hoc referens posteris, quod propter caeleste presidium in eo missum memoria ibi magni miraculi consecrata est. Laici vocant montem Sancti Adjutorij. Nomen Germanicum S. Hulffe diutissimè mansit, senum sermonibus, ut Reineccius in not. ad Poët. Anony. hætenus conservatum, & forte etiamnum manet; Sacellum verò desertum, imò funditus destructum.*

7. THIETMALLO. Loco ob antiquitatem maxime claro; utpote cui nomen *Teutoburgium* olim fuit, manetque quo ad priorem sui partem. *Thiet & Theut* re eadem, sola dialecto differunt, posterior verò pars, sive burgium solita Germanicorum populorum municipij gentilitiâque appellatio.

Lazius

Lazius lib. 12. c. 6. in *Mallum* postea, incertum, quo tempore, commutatum, vel quod *Teut*, sive *Tuifconis signum* Germanis *mal*, ibidem esset, Pideria. p. 1. & 2. chron. Lipp. auctentius iudicij locus. *Mallus* enim & *mallum* iudicium seu placitum, in quo majora negotia à Comite finiebantur, Francimultisque alijs gentibus significavit. Hinc *mallare* in iudicium vocare, *Mallobergium* plebs, quæ ad unum placitum convenire solet. Hier. Bignolus. in notis ad veteres formulas Marcolf. Lindenbroch. in glossario. Goldastus in notis ad part. 1. tom. 1. veterum Germ. script. Plenæ exemplis Salica, Alemannorum, Longobardorum & Ripuariorum leges, Capitula, & Capitulationes Caroli M. Ludovici Pij. Cap. quæ facta Suetl. A. 853. *Comes convenientem locum consideret, & inveniet, ubi stationem ad mallum tenendum constituat.* Talem verò locum seu stationem *Thietmali* fuisse, præter nomen, diploma S. Henrici regis confirmat, qui An. 1011. regni sui 9. *Ecclesie Paderbornensi à Carolo M. constructæ, interventu Meinverci Episcopi, donavit comitatum, quem Hahold Comes, dum vixit, tenuit, situm scilicet in locis Haverga, Linga, Thietmali, &c.* Hodie Dethmoldia vocatur, primum Comitum Lippiensium domicilium, qui Episcoporum & Principum Paderbornensium beneficio, seu feudi nomine hunc, aliisque loca obtinent.

8. SÆPIVS HIC HOSTEM &c. Sexta Caroli M. in Saxoniam expeditione, Dethmoldiensis victoria contigit. Anno 786. quatuordecim ejus prælia numerabantur: Tab. 1. 4. orig. Saxon. nec tamen belli adhuc finis; quo plures tam ex nobilitate Francorum, quam Saxonum, & functi summis honoribus viri, consumpti sunt; tandemque anno tricesimo tertio finitum est. Eginh. in vita. Carol. M.

9. CON-

9. CONTVDIT ILLE SEMEL. &c. Clade scil. Varianâ, quâ factum est, ut Germania mox magis turpiter amissa sit, quàm gloriose acquisita, atque imperium, quod in litore Oceani non steterat, in ripâ Rheni fluminis staret. Flor. l. 4. c. 12. nec stabilem deinceps Romani ad Luppiam & Visurgim figere pedem potuerunt.

10. OSNEGGVM FRANCIS. Eginhart. in vita Caroli. Semel juxta montem, qui Osnegge dicitur, in loco Thiermelle nominato. Cranc. l. 2. Sax. c. 4. Recitatis his verbis, mox subdidit: ita scribunt Galli proprietatem linguæ non tenentes. Atqui Eginhartus Germanus fuit, rectiusque montis nomen, quod Crancius *Asneggi* vocat, expressit; Ità enim scriptum legitur in diplomatis Caroli M. de quodam nemore in silvâ *Osninge* Guihoni Osnabrug. Episcopo in perpetuum proprietatis usû donato. Ottonis M. An. 965. de eodem apud Ertwinum in Chron. Osnabr. S. Heinrichi regis, quo An. 1002. regni sui. Incendio Paderbrunnensis Ecclesie miserabili condolens, & petitioni fidelis sui Retharij venerabilis Episcopi annuens, in supplementû Ecclesie, in jus concessit, & per regale præceptû corroboravit, forestum, quod incipit de Lutherâ flumine, & tendit per Osning & Sinidi usque in viam, quæ ducit ad Horihusam. Præterea in literis An. 1153. & 1338. datis mentio fit silvæ *Osnine*, prope quam prædium *Kivewinchusen* dictum, & *Montanorum*, quæ *Osnine* appellantur. Fuit igitur *Osnegge*, *Osning*, *Osninge*, *Osnine* nomen ejusdem saltûs, quem *Teutoburgiensem* Tacitus vocavit, & non pauca, nec obscura antiqui nominis vestigia, tum in tractu vicino Osnabrugæ, forsan prius *Osninebruchteria*. Moller. in descript. Rheni lib. 5. tum prope Dethmoldiam alibique supersunt. Nam vallis, quâ illuc ex *Sinedi* deserto itur, *Ossenthal*, quasi *Osninthal*, jugum seu cacumen montis Dethmoldiensis *egge*, ubi

F

Lippien.

Lippiensis silva definit, campi *Ossenkempe*, velut *Osninkempe* hodiéque vocantur.

II. An. DCCLXXXIII. Annales Francici apud Pithæum. Astronomus apud Reub. Regino in Chron. Poëta Anonym. lib. I.

FONTES LUPPIAE.

Multi fluvij diœcesin Paderbornensem irrigant, nec pauci ex his in eâdem nascuntur. Præcipui & plerique in historiâ tum Romanâ, tum Francicâ & Saxonicâ nominati. Alma Aliso olim, Ambra, Amifius, Bevera, Dalca, Effata, Hedera, Luppia, Luttera, Padera, Neta & Visurgis.

I. LUPPIA. Ità apud Tacitum, & rectiùs seu magis genuinè; quia in Germanico vocabulo litera p. geminatur: apud Melam *Lupia*; Dionem & Strabonem *Λυπία*; in Annalibus Francicis *Lippa* & *Lippia* scriptum legitur. Hanc posteriorem dialectum vulgatus scribendi loquendique usus retinuit. In Velleji exemplaribus, in quibus *ad caput Iuliae fluminis* legitur, vel mendum in *Iulia* pro *Lupia*, vel quasi in honorem *C. Iulij Octaviani flumen sic noviter appellatum*. Lips. in Vell. n. 194. Bœclerus in eund. Cluverius lib. 3. Germ. Antiq. c. 49. Verùm uti breve Augusti ad *Luppiam* imperiũ fuit mox Rheno terminatum, ità quoque memoria nominis in illo flumine non diu perduravit. Nimis levis & falsa Vadiani doctissimi cæteroqui viri, qui *Luppiam* fluvium esse putat, quem hodie *Neccarum* vocant, & Irenici ac Spidelij in not. in Bartolinum l. 12. Austr. *Lanum* esse suspicantium conjectura, ita ut refutatione non indigeat. Diversus enim ab utroque fluvius à capite usque